



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

Capvt XV. Iniustam esse, contra bestias querelam; iustam autem Dei  
contra homines bestijs inobedientes, ac proinde merito puniendos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

## CAPVT XV.

*Iniustam esse, contra bestias, querelam;  
justam autem Dei contra homines be-  
stijs inobedientiores, ac proinde  
meritò puniendos,*

§. I.

*Impatientia hominum injustè de bestijs  
querentium.*

**O**t, tamque manifestis exemplis  
tria demonstro. 1. Nullam posse  
esse justam, contra animalium  
inurias, querelam. 2. Erubescen-  
dum hominibus, Deo non obedientibus,  
cùm videant sibi bruta animalia, & quidem  
fortissima etiam, atq; alioqui ferocissima,  
tam exactè, & ad amissim obedire. 3. Di-  
gnos esse proinde, & meritò à bestijs pu-  
niendos, quicunque contra Deum delin-  
quunt, & ipsis bestijs sunt obstinatiores.  
Ad primum enim quod attinet, nonne ca-  
vere potest dentes, vngues, cornua, aut ve-  
nena bestiarum, qui oculis præditus est,  
quibus videat; pedibus, quibus fugiat, ma-  
nibus quibus repellat; ingenio, quo vincat  
quidquid est vel dente noxium, vel vngue  
metuendum, vel cornu formidabile, vel ve-  
neno

veno insidiosum? Vnde ergo tanta homi-  
nis impatientia? vnde querimonia? vnde  
murmurationes & execrationes? Erum-  
punt in indignationem nonnulli delicati,  
si quando eos non leo, non lupus, non  
rabidus canis, sed vel pulex, aut musca mo-  
mordit? quid si vipera, quid si panthera  
in eos dentem fixisset? sentiunt se morde-  
ri, vt homines se esse meminerint; vt dis-  
cant cauere; vt assuescant aliquid pati; vt  
agnoscant, quantum sit beneficium, à bel-  
luis defendi; in quarum vngues & fauces  
quotidie incidere possent. Et incidunt ali-  
quādo, quia id meruerunt; cū ob leuis-  
sima incommoda murmurauerint; vt Israë-  
litico populo contigit, in quem igniti ser-  
pentes sociuerunt. Itaq; *custodite vos à mur-  
muratione, quæ nihil prodest; &, in omnibus  
gratias agite.* In vsum datæ sunt vobis be-  
stia, immo & in seruitutem. Magnum do-  
minium hoc, magnū est beneficium. Quan-  
do pro eo, gratias egistis? Nocuerunt quan-  
doque bestia? sapius profuerunt. Nocue-  
runt bestia hominibus? sed nocentib<sup>9</sup>, sed  
incautis, sed malo dignis nocuerunt. Agrè  
fertis, si agros vestros deuantant apri? si in  
segetes cerui intrant, & fata depascuntur?

Nū. 21. 6.

Sap. 1. 11.

1. Tsel-

sal. 5. 18.

Plin l. 15, si oleam lambendo capra linguâ contigerit, coegeritq; sterilefcere? si in vineam hœdus irrupit, si vitium palmites defoliat? Indignum esse putatis, vt damno vos afficiant animalia in vtilitatem creata? vt martes columbas jugulet? vt vulpes gallinam, lupus ouem auferat? vt vrsus equum, aut bouem occidat? vt scorpio filiolum percutiat? ob hæc talia iracundiam reprimere, & ad vos redire non potestis? Nimirum per ista vult vobis Deus ostendere, quo ipse in vos animo esse debeat, qui & ipsi longè peruicaciùs Domino vestro rebellatis. Nihil à vobis bestia, vos omnia à Deo accepistis: non ergo illæ vobis, sed vos Deo obligati estis. Longè igitur iustius ille de vobis; quàm vos de bestijs, conqueri potest ac dicere: *Filios enutriui & exaltavi, ipsi autem spreuerunt me.*

Isa. 1. 2.

§. II.

S. Ambrosius, li. 6. c. 4. Hecam.

*Homines canibus ingratiore, leonibus feruiores, iniuste, contra bestias, queri. Quid de canibus loquar, ait S. Ambrosius, quibus insitum est natura quadam, referre gratiam, & sollicitas excubias, pro dominorum salute, pretendere. Quis non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cum videt*

etiam bestias refugere crimen ingrati? Et illa impertita alimonia seruant memoriam, tu non seruas salutis accepta? Affonat Basilius, Memoria beneficioru animantis huius, inquit, beneficiorum immemorem non pudore asperferit? Iam quidem & interfectis à latronibus, in solitudine, domitis complures à cadaveribus canes non recessisse, sed ibidem expirasse memoria traditur. Nonnullos etiam cade adhuc recente duces illis fuisse, qui latrones inquisuerunt, & ad poenam maleficos rapi fecerunt. Quid hic dicent, qui nullo suum opificem, altoremq; Deum prosequuntur amore? Qui, pro tot pecoribus, pro tot jumentis sibi datis, gratias nullas agunt? qui, ob minimum damnum à bestia illatum, in furorem vertuntur; & in creatura, Creatorem ipsum execrantur? Nimirum agunt ipsi pro affectu, nec ratione cohibent impetum animi, & vellent ratione carētes bestias, nec irasci, nec se vindicare de inimicis. Enimvero Deus, qui illis naturam dedit, dedit vt irascerentur, & in vindictam efferuescerent; quamuis ne tum quidquam vlli inferre possint damni, sine prouidentia, certoque iudicio illius, sine cuius voluntate ne capillus quidem de capite nostro perit. Quis miretur vulnera-

Basil. homil. 9. in Hexaem.

tam belluam in ultionem concitari? Na-  
 tura cuique dicitur vindictam. Si ergo gla-  
 diator ignoscit antagonista seu caesim, seu  
 punctim se defendenti; cur tu belluam fe-  
 ris, & velles, ut non refereret? Admiratio-  
 nem, non indignationem apud historicos  
 meretur, quod Iuba regi Maurorum fer-  
 tur contigisse. Hic rex, cum exercitu suo,  
 aliquando per Africae deserta, rerum sua-  
 rum componendarum studio proficiscebatur.  
 Erat in eius comitatu praestantissimi  
 animi juvenis, qui ex itinere obvium leonem  
 sagitta percussit. Saucius leo in filuam se  
 recepit. Multum temporis ierat, cum Iuba,  
 rebus ex voto compositis, eadem via copias  
 domum reduxit. Ibi idem ille leo, excusso  
 telo, & sanata iam diu cicatrice, observa-  
 vit transeuntes, atque e tam magno equi-  
 tum numero, illum solum juvenem, qui vul-  
 nus inflixerat, ex omni multitudine, vio-  
 lentissimo cursu petiit, hostiliterque ag-  
 gressus, nulla confluentium militum vi co-  
 hiberi potuit, quin unguibus correptum,  
 dentibus dilaniaret. Ea ultione contentus,  
 nemineque alio laeso, in nemoris interiora  
 recessit. Quae in reliquos clementia multo  
 utique magis est admiranda; quam, quod se

se leo de vnico hoste vindicârit. Multi homines non contenti sunt inimicum perdere, sed scœuiunt etiam in amicos inimici. Atque hæc de primo satis.

§. III.

*Hominum inobedientiam, ab inobedientia bestiarum in ruborem dari?*

Sed ad secundum venio, & cum Seneca, dico: *Aspice elephantorum iugo colla submissa, taurorum pueris pariter ac scœminis persultantibus, terga impunè calcata, & repentes, inter pocula sinusq; innoxio lapsu, dracones, & intra domum visorum, leonumq; ora placida tractantibus, adulantesq; domino feras, pudebit, cum animalibus permutasse mores. Quis enim rubore non perfundatur, si videat, humanam quodammodo in belluis mansuetudinem, in se autem animû ad ferinos mores, ad indomitam obstinationem obbrutuisse?*

*Officia, inquit idem Seneca alibi, etiam fere sentiunt. Nec vllum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora a magistris impunè tractantur. Et homo se non sinit tractari à Deo? Elephas collo jugum submittit; & homo excutit à se suauè jugum Christi, dicens: Non seruiam?*

Cc 5 tur,

Senec.  
l. 2. de ira.  
cap. 31.

Senec.  
lib. 1. de  
benef.  
cap. 30.

Matth. 11  
30.

Iob. 21. 14. tur, esse, qui dixerunt Deo: Recede à nobis,  
 & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis  
 est Omnipotens, ut seruiamus ei? & quid nobis  
 prodest, si orauerimus illum? Patitur leo fra-  
 num hominis, & homo nulla se finit lege  
 frænari? Tauro stimulo impellit modicus  
 puer, & homo sese à Deo non finit, ad vir-  
 tutem extimulari? *Super aspidem & basiliscum*  
 ambulat homo, & conculcat leonem  
 & draconem, & ipse vult à Deo in manibus  
 portari? Deniq; *omnem naturam bestiarum,*  
*volucrum, & serpentium, & ceterorum do-*  
*mari, & domita esse ab humana natura sci-*  
*mus, & nos domare Deus non potest? Non*  
*ferimus leges, præcepta cõtemnimus, obe-*  
*dienciæ nullam audire volumus mentio-*  
*nem; cùm interea videamus, nobis accipi-*  
*tres, falcones, aquilas in aère, delphinos,*  
*murænas, ipsas balænas in aquis obedire.*

## §. IV.

*Exemplo bestiarum, ductorem & legem se-*  
*quendos, non ducendos.*

*Nulla ars absque magistro discitur, ait S.*

§. Hiero-  
 nym. ep.  
 4. ad Ru-  
 sic.

*Hieronymus, etiam muta animalia, & fera-*  
*rum greges ductores sequuntur suos. In apibus*  
*principes sunt. Grues unam sequuntur, ordi-*  
*ne litterato. Imperator vnus, Index vnus pro-*  
*uincia*



à bestijs doceri, & puniri. 411

vincia. Omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus  
nititur. In naui unus gubernator. In domo unus  
dominus. In quamuis grandi exercitu, unus  
signum expectatur. Et, ne plura replicando fa-  
stidium legenti faciam: per hac omnia, ad illud  
tendit oratio, ut doceam te non tuo arbitrio di-  
mittendum. Tibi bestia subsunt, vt tu discas  
Deo subesse. Dum illis imperas, tuam ino-  
bedientiam accusas. Bestias regis, ne er-  
rent, & tu vis, instar bestia, errare, dum-  
modo nemo te regat? Aliter rex ille fuit  
affectus, qui dixit: *Vt iumentum factus sum* Ps. 72.23  
*apud te: & ego semper tecum. Tenuisti manum*  
*dexteram meam: & in voluntate tua dedu-*  
*xisti me.* Citius & rectius ad metam de-  
currit equus, qui patitur fessorem, quo ex-  
cusso, in incertum vagatur. Ita neque ad ca-  
lum perueniet homo, qui se non finit, è  
caelo dirigi, *Eccè Dominus super murum li-* Amos. 7.  
*tum, in manu eius trulla cementarii,* hoc est,  
perpendicularum. Vbi LXX. sic legunt: *In ma-*  
*nu eius adamas.* Tametsi enim soleat trulla,  
seu perpendiculari pondus plumbeum esse;  
Dei trulla adamantina est. Quia perpen-  
diculum Dei, lex est Dei. Nam, sicut perpen-  
diculo admoto aedificia explorantur, mu-  
rique, num recti stent, an obliqui in rui-  
nam se inclinent; ita

Appo-

Apposita incuruos ostendit regula moris,  
& lex Dei declarat, quis sit homo Dei. Por-  
rò ea lex, in quorundam hominum manu,  
plumbea est, & cedere cogitur, flectiturq;  
in omnes partes, ad libitum & libidinem  
peccatoris, qui mandari sibi cupit, quod  
ipse vult. In manu autem Dei, & hominis  
Deum amantis, lex diuina regulaque non  
plumbea est, sed adamantina, quia non  
cedit, sed voluntas obediētis cedit illi: quia  
Psal. 1. 2. *in lege Domini voluntas eius*, vnde ait: *Do-*  
*mine, quid me vis facere?* His talibus bestia,  
quæ domantur, sunt in exemplum; contu-  
macibus autem, & dura ceruice jugum Do-  
mini à se proijcientibus, in metum & sup-  
plicium.

## §. V.

*Hominum peccata à bestijs puniri, ut olim  
à muscis Pharaonem.*

*Cor suum posuerunt, ut adamantem, ne  
audirent legem &c. & facta est indignatio ma-*  
Zach. 7. 12 *gna à domino.* Quia igitur bestijs, non in-  
obedientia, sed in truculentia pares sunt,  
Pl. 57. 5. *estque furor illis, secundum similitudinem  
serpentis, sicut aspidis surda & obturantis  
aures suas; quæ non exaudiet vocem incantã-*  
*tium, & venefici incantantis sapienter, Deum*  
cont-

conteret dentes eorum, in ore ipsorum. Sicut eques conterit dentes equi frantum mordentis. Quo autem iustiore modo obstinatos plecteret, quàm, vt rebellibus immitteret rebellionem? *Quia frequenter & grauius peccauit tibi*, ait vir sanctus, *merito armatur contra me omnis creatura*. Sic, quia Eua se à serpente decipi est passa, inimicitia inter illam & serpentem insidiarum; sunt positæ, vt idem esset punitor, qui fuerat seductor. Sic induratus Pharaonis, sciniphibus, muscis, locustisque est punitus. Per *sciniphes* Hebræi, & cum illis Vatablus, Pagninus, Arias Montanus, Caietanus, pediculos intelligunt, quibus, vt postea Herodiana crudelitas, ita prius Pharaonica tyrannis sit castigata: alij rectius id negat, cum pediculi è corpore humano, nõ è puluere terræ generentur, quod hinc tantum docet Scriptura. Vbi autem nos legimus: *immittam in te, & in seruos tuos, & in populos, & in domos tuas, omne genus muscarum*, vertit Chaldaeus, *mixturam bestiarum nocivarum*, Pagninus, *omne genus ferarum*. Hebræi quidam, *incurSIONem leonum, pardorum & luporum* intelligunt. Quia tamen S. Hieronymus cum 70. & Aquila melius

Thom. de Kemp. l. 3. de imit. cap. 41. Gen. 3. 15.

Exod. 8. & 10. Ioseph. li. 2. Antiq.

Exod. 10. 21.

arob

arob miscellam, seu turbam variarum mū-  
 scarum interpretatur, dubium non est, tan-  
 tam esse Dei potentiam, vt vel è musca fa-  
 cere possit immanem tortorem. Sicut &  
 locustæ grandi Ægyptum plaga percusse-  
 runt. Deuorarunt enim, quidquid erat vi-  
 rens in terra. Quin & domos ingressæ eas  
 impleuerunt: & in oculos quoque & cor-  
 pora Ægyptiorum insilierunt, hominēsq;  
 virulento morfu suo, necauerunt, vt ait

Sap. 16. 9. Scriptura. *Illos enim locustarum & musca-  
 rum occiderunt morsus, & non est inuenta sa-  
 nitas anime illorum: quia digni erant ab hu-  
 iusmodi exterminari. Filios autem tuos, nec  
 draconū venenatorū vicerunt dentes. Quod,*

vt minùs mireris, hæc de illarum regionū  
 Plin. li. ii. muscis scribit Plinius: *Grandiores ternun-  
 tur, & tanto volant pennarum stridore, vt  
 cap. 29. alia alites credantur, solēque obumbrant,  
 sollicitè spectantibus populis, ne suas operiant  
 terras. Longinqua maria transeunt, continua-  
 ta plurium dierum fame, vt externa pabula  
 petant; dira nube messes contegunt, multa  
 contactu adurentes, omnia morfu erodentes.*

§. VI.

*A serpentibus & leonibus punji.*

Num. 21. Sic, murmuratione facta, misit Dominus in  
 6. popu-

populum ignitos serpentes, ita dictos, quia ab  
ijs morfi aduri videbantur, & vt alibi dici-  
tur, in solitudine magna atque terribili fue-  
rūt, in qua erat serpens flatu adurens, & scor-  
pio ac dipsas. Itaque cum illis superuenit saua  
bestiarum ira, morsibus peruersorum colubro-  
rum exterminabantur. Sic, quando rex A-  
chab regi Syriae Benadab pepercit, cum  
posset & deberet occidere illum, tunc vir  
quidam de filijs Prophetarum dixit ad socium  
suum, in sermone Domini: Percute me. At ille  
noluit percutere. Cui ait: Quia noluisti au-  
dire vocem Domini, ecce recedes a me, & per-  
cutiet te leo. Cumq; paululum recessisset ab eo,  
inuenit eum leo, atque percussit. Alterum au-  
tem non percussit, qui Prophetæ obediuit.  
Leone, in vltionem, etiam alia vice vsus est  
Dominus, aduersus Prophetam inobedien-  
tem, quem inuenit Leo in via, & occidit: &  
erat cadauer eius projectum in itinere: asinus  
autem stabat iuxta illum, & leo stabat iuxta  
cadauer. Leone hic Deum vsus esse in pœ-  
nam, Prophetæ alter ostendit, qui ei pœnā  
prædixit. Ostendit & ipse Leo, qui non asi-  
num, sed fessorem occidit; & id se fame im-  
pulsus nō fecisse, ipsa abstinentia demon-  
strauit. Neque enim de occiso quidquam  
gusta-

Deuter.  
8. 15.

Sap. 16. 50

3. Reg. 20.  
36.

3. Reg. 13.  
24.

gustauit, sed iuxta eum asinumq; perman-  
sit, vt, contra aliarum ferarum imperum,  
eos custodiret.

## §. VII.

*Vrſi malè educatos pueros punientes.*

Sic non leonibus tantum, sed & vrſis vſus  
est iuſtiſſimus iudex, ad petulantiam malè  
educatorum puerorum plectēdam. Ascen-  
derat Eliſeus in Bethel, cumq; ascenderet,  
per viam, pueri parui egreſſi ſunt de ciuitate,  
& illudabant ei, dicentes: *Ascende calue, Ascen-  
de calue.* Qui, cum reſpexiſſet, vidit eos, & ma-  
ledixit eis in nomine Domini: egreſſi q; ſunt duo  
vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadra-  
ginta duos pueros. Tanti erat luere. Sic  
iocum puniuit diuina iuſtitia. Habent er-  
go parentes, quid mereantur, apud diui-  
num tribunal, ſi liberis ſuis indulgent, ſi  
diſſimulant ſarcaſmos, ſi etiam ad dictēria  
jacienda eos inſtruunt; vt ſenes caluaſtros,  
vt rugoſas anus, vt ſeruos & ancillas con-  
uicijs aſpergāt; vt illos cæcos, ſurdos, mu-  
coſos, illas veneficas, vetulas, Cerberi ipō-  
nes, aut Silicernia; hos maſtigias, verbero-  
nes, nebulones; has meretrices, proſtibula,  
pabula Orci appellent. Eliſeum caluum  
vocauēre; & pueri erant; & in campis nu-  
gaban-

gabantur; & tempore exiguo, ac vix bis  
scomma hoc effuderunt in transeuntem;  
& ecce, Deo iudice, *quadraginta* parenti-  
bus suis charissimi filij, delicia matrum,  
spes posteritatis; quodq; est miserabilius,  
*pueri parui*, ab vrsis non occiduntur modò,  
sed etiam *lacerantur*, vt nullius cadauer  
posset dignosci, nullius corpus in patrium  
sepulchrum inferri, sed necesse fuerit, con-  
fusa inter sese membra, in vnum cumulù,  
velut Absyrtum, colligere, plangeréque  
etiam hoc, quòd ibi, vbi sciebat esse, nemo  
sua prolem posset inuenire. O quale  
tunc spectaculù fuit parentibus, & cogna-  
tis, exire in campum, recente, & adhuc fu-  
mante filiorum, nepotumq; sanguine cru-  
entatum! calcare gramina hinc tabo pur-  
purata, inde exanguibus, & à ceruice sua  
reuulsis vultibus pallentia! Vidisses hinc  
matrem brachium, ibi patrem ossa hume-  
ro malè hærentia tollentem, & exploran-  
tem, an notæ sibi tunicæ aptari possent!  
Alij, velut lymphati, per totam stragem  
fursum ac deorsum currebant, vt volante  
oculo deprehenderent gnatum adhuc pal-  
pitantem; alij per singulos, ordine, quæ-  
rebant, vt, quod quærebant, non præteri-  
rent:

rent: ita, quid singuli passi sint, viderunt in  
 vniuersis. O quis tum, quantúsq; luctus  
 fuit, qui gemitus, quæ suspiria in cælum  
 missa? quàm ingens vis lachrymarum in  
 terram cadentium, aut lacerata paruulo-  
 rum membra lauátium! Quàm serua fuit  
 accusatio, in vrsorum feritatem vibrata?  
 quanta execratio belluarum? Sera est hæc  
 vestra querimonia, ò parentes: erratis  
 accusando. Vos ipsos, non vrsos, accusare.  
 Si voluissetis liberos vestros ad senectutem  
 peruenire, docendi fuissent; senes non con-  
 temnere; non ridere Prophetam, sanctis  
 non illudere, sed reuerentiam exhibere:  
 cur ab vrsis exigitis humanitatem, qui *puer-  
 ros paruos* docuistis feritatem? Nunc quia,  
 vestra vel negligentia, vel indulgentia, vel  
 socordia, in Eliséum linguas stringere di-  
 dicerunt; Dei sententiã & mandato, bel-  
 luæ, in illos, dentes debuerunt stringere; vt  
 mordacitas eorum, vrsinis moribus ple-  
 teretur, & iustissimo Numinis iudicio  
 lacerati docerent, sanctos viros contume-  
 lijs non lacerandos.

## §. VIII.

*Amentia eorum, qui contra bestias  
 queruntur.*

Abeant



Abeant nunc ad vulgi opinionem, & querantur contra bestias, ad bestias à Deo damnati. 1. Opificem sapientissimum, in opere exquisitissimo reprehendunt. 2. Patrefaciunt suam dementiam, vt, qui velint, sibi belluas parere, cum ipsi suo Conditori obedire recusent. 3. Ostendunt se dominij plenitudinem, cum innocentia, perdidisse. 4. Sibi plus licere volunt, quam Domino suo supremo, quem, ad scelera plectenda, nolunt vti creaturis, cum ipsi reos equis distrahant, camelis conculcent, vrsis obijciant ambedendos, leonibus deuorandos. 5. Adeò cæci sunt, vt non videant diuinam protectionem, adeò furdi, vt non audiant comminationem. De preuaricatoribus enim dicit: *Deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.* Vel, si audiunt, cur non metuunt; si vident, cur non cauent? Ideò enim iteratò ait: *Immittam in vos famem, & bestias pessimas, vsq; ad internecionem.* Sed non mouentur minis saxeæ corda. 6. Inde mentem amittunt, vnde eos sapere, & mundi Rectorem agnoscere oporteret, cuius iustissima gubernatione, bestia in reos irruunt,

D d 2 quæ

Phil. C. 11  
Hoc. 101  
Esp. 11

Plurim.  
in vna  
Bona.

Deuter.  
32. 24.

Phil. Ca-  
mer. cēt. 1.  
Hor. sub  
cap. 22.

Plutarch.  
in vita  
Bruti.

quæ non audent tangere, aut libare inno-  
centes. Aut certè, dum nocentes lædunt,  
innocentes defendunt. Quo pacto, cum  
aliquando hostes, noctu, nauibus appul-  
sent, & arcem Neapolitanam occupaturi,  
muros, scalis clam appositis, magno silen-  
tio transcendissent, præter opinionem,  
inciderunt in leones, qui multos ex illis  
dilacerarunt, & suo rugitu, vigiles excitã-  
runt, ita, vt non paucis desideratis, irrito  
conatu discedere coacti sint. Contrarium,  
apud Megareses euenit. Apud eos, Callius  
leones, quos Ædilibus ludis præparauerat,  
reliquit. Cùm ergo ciuitas, per Calenum,  
caperetur, Megareses, ferarum carceres  
effregerunt, vinculis eorum relaxatis, vt  
irruentibus hostibus objectæ negotium,  
tantisper facerent, dum sibi, per moram  
aliquam, consulere possent. Verùm longè  
aliter euenit, quia leones in ciues ipsos  
truculenta scœuitia conuersi, tantam iner-  
miam stragem edidère, dum obuios quos-  
que adoriuntur, sternunt, atq; dilacerant,  
vt spectaculum illud fuerit vel ipsis hosti-  
bus miserandum. Hæc iudicia Dei sunt  
in sacris exempla non desunt.

à bestijs doceri, & puniri. 421

§. IX.

*Leonibus, in pœnam, & gloriam hominis,  
uti Deum.*

Clarissimum est, quod supra de Ægyptijs attuli: illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta sanitas animæ illorum: quia digni erant ab huiusmodi exterminari. Filios autem tuos (ô Deus) nec draconum venenatorum vicerunt dentes. Sap. 16. 9.

Atque ut in leonibus quoque id apparet, nonne Daniel, in lacu leonum, lapide & annulis regis ac optimatum, tota nocte, clausus fuit, & nulla lesio inuenta est in eo? jubente autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem, & in lacum leonum missi sunt; ipsi, & filij, & uxores eorum: & non peruenerunt usq; ad pavementum lacu, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt? Ex quo facto perspicitur, leones, qui Danieli pepercerunt, fuisse famelicos, fuisse liberos, nullo pallio obueltos, nulla consuetudine cicuratos, nullis beneficijs delinitos, nullis blanditijs permulso, sed diuinæ potentia miraculo cohibitos, ne in Prophetam irruerent. Vnde ipse ait: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi;*

Vide Aristot. l. 9. de hist. animal. cap. 44.

D d 3 etiamsi

etiam si leones è lacu non amouerentur,  
 etiam si oculi eorum nō fascinantur; cu-  
 am si altissimo somno non sopirentur, An-  
 gelus à Deo missus satis fortis fuit, vt os il-  
 lis obstrueret, vt vngues cohiberet, vt fa-  
 mem suspenderet, vt feritatem mitigaret.  
 Quemadmodum autē diuinā prouidentia  
 leones à Daniele cohibiti sunt, ita & sunt  
 in impios calumniatores incitati, vt, mu-  
 tata phantasia, illis Danielis æmuli, inte-  
 riore sensu, repræsentarentur vel tanquam  
 ipsis contrarij, & à quibus lædi possent, vel  
 tanquam esca conueniens & pertinens ad  
 pastum. Eodem igitur loco, atq; per easdē  
 belluas, mundi Moderator demonstrauit,  
 bestijs se vti ad hominum vel defendendā  
 innocentiam, vel plectendam impietatem.  
 Quod si autem etiam permittit Sanctos, &  
 sibi charissimos, in theatris, tyrannorum  
 imperio, à belluis lacerari; & sicut Antio-  
 chenum illum Ignatium, à leonibus occi-  
 di, maximo illos beneficio honorat. Tam-  
 etsi enim, etiam per illos, posset *obturare*  
*ora leonum*, affectè nihilominus, & pecu-  
 liari amore, eos bestijs finit obijci, vt de  
 atrociori prælio clariorem obtineant vi-  
 ctoriam, & maiores triumphos mereantur.

Non

Non infert injuriam, qui offert meliora. Panis Christi fiunt, qui, Christi caussa, moluntur dentibus bestiarum. Deniq; sic in martyres euadunt, quo maius, in terris, nihil possunt adipisci, & quod ipsi flagrantissimis votis desiderauerunt.

§. X.

*Dominium hominis in animalia ita imminutum esse, ut maximis minima molesta sint.*

Illud hic iteratò mihi dicendum est, retinuisse quidem hominem, etiã post patratum ab Adamo delictum, in omnes bestias dominium, non tamen ita plenum ac absolutum, vt priùs, & cum discrimine bestiarum. Etsi enim capere, occidere, & in victũ, aut vestitum, aut pharmacum, aliũmue in finem, omnes potest; non potest tamen, omnes perinde domare, ita vt, quemadmodum veller, cicurentur, & ad nutum illi famulentur; & penitus molestiam non creent. Excederet hæc felicitas miseriam exulantis. Qua de caussa, ait Hugo Victorinus: *Dominari quidem debuit homo omnibus animantibus, sed per peccatum amisit dominium, & in maximis, & in minimis. Retinuit tamen dominatum in medijs. Perfectiorem scilicet. Nam equos, & asinos, & bo-*

Hugo an.  
not. in  
Genes.

Plin. l. 17.  
c. 6. nat.  
hist.

ues, & oues, & capras, itemq; aues dome-  
fticas, & subsidiaria jumenta fatis habet  
in potestate; maiora his animalia difficilius  
adigit ad parendum; minima minime. Nā  
quis vnquam, vsque ad moleftiam, alioqui  
familiares muscas cicures vel fecit, vel vi-  
dit? *Nullum animal, inquit Plinius, minus*  
*docile, quam musca, existimatur, minorisue*  
*intellectus.* Annue, abige centies, centies re-  
deunt: vel ferendæ sunt, vel feriendæ. Cu-  
lices, doma, si potes. Interdiu indignanti  
aculeum profundè infigunt: noctu auribus  
obftrepunt buccinādo, & dormire verant.  
Iube eos tacere, si potes; vel aculeū condere  
in vaginam, si tanta tibi est authoritas. Ad  
viliora veniamus. Pediculis impera, ne te  
mordeant. Quā diu viuunt, tam diu cor-  
pus tuum est illorum pratum. Ibi pabula  
carpunt, quo neque Apollo Admeti boues  
adigere ausus fuisset. Ius hoc illis hære-  
ditarium est. Ibi natale solum. Dente illuc  
redeunt, vnde corpore toto prodierunt.  
Quod si de pulicibus sit loquendum, totæ  
possent Iliades recitari. Nam licet ars illis  
catenas cuderit, & retia, quib⁹ capiantur,  
fabricārit, Vulcanijs illis subtiliora; licet  
multi ijs venādis multas horas impendāt;  
haud

haud tamen hanc celerem pestem à se  
possunt amoliri. Bestiæ sunt exiguæ, sed in  
pungendo acres, in fugiendo veloces; in  
sanguine sugendo insatiabiles. Cogun-  
tur etiam eas tolerare delicatissimæ cutis  
Poppææ & Cleopatæ, quæ quò gracilius  
sefe stringunt vestiendo, eò permittunt il-  
lis licentiùs grassari, cum manus non pos-  
sit accedere ad pabulantes. Atque, vt hu-  
mani dominij intelligentiùs consideremus  
diminutionem: Ponamus ante oculos mi-  
litia ducem, eumque non è communibus  
& obuijs vnum, sed Hectori, aut Achilli  
parem; aut, qualem diuinæ litteræ descri-  
bunt, Goliath de Geth; qui erat *altitudinis*  
*sex cubitorum & palmi: & castis area super*  
*caput eius, & lorica squamata induebatur:*  
*porro pondus loricae eius, quinq; millia siclorum*  
*aris erat: & ocreas areas habebat in cruribus:*  
*& clypeus areus tegebat humeros eius, hastile*  
*autem haste eius, erat quasi liciatorium texen-*  
*tium, ipsum autem ferrum haste eius sexcen-*  
*tos siclos habebat ferri. Hunc talem Poly-*  
*phemum, quo incedente, terra, sub pedi-*  
*bus eius, tremebat; quo vociferante, con-*  
*cutiebatur aer, resonabant montes, siluæ*  
*trepidabant; pulex audet aggredi, morsu*

1. Reg. 17.  
14.

laceffere, & vsque ad impatientiam exagitare. Non illum cassis area, non lorica squamata, non ocreæ & clypeus solidissimo metallo graues, non hasta validissima, contra animal, quod visum fugiebat, defendere potuerunt. Vincitur à pulice, qui totos exercitus solus prouocauit.

## §. XI.

*Cur minima animalia potius hominibus sinat esse molesta Deus?*

Si ergo Deus hominem constituit perfectum omnium animalium, quando dixit:

**Gen. 1. 26.** *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & presit piscibus maris, & volatilibus cali, & bestijs, vniuersaq; terra, omniq; reptili, quod mouetur in terra; Si, etiã post originale delictum vniuersorum,*

**Gen. 9. 2.** *minus pronunciauit: terror vester ac tremor, sit super cuncta animalia terra, & super omnes volucres cali, cum vniuersis, qua mouentur super terram: qua de caussa minutissima illi animalia non obediunt, sed ad impatientiæ verba vsque infestant? Nimirum etiamnum homo harũ est Dominus terrorq; bestiarum, quas capere callidè, & occidere licitè potest. Verùm etiam ab illis cruciari potest, vt habeat, vnde se agnoscat*

mor-



à bestijs doceri, & puniri. 427

mortalem, & supercilium ponat, quando videt vel muscam regi in oculos inuolare, & in ipsa Cæsaris fronte sedere, sine vlla reuerentia maiestatis. Hac ipsa de causa sapientissimus mundi gubernator intumidum illum Pharaonem, qui supra nubes sibi gradi videbatur, non leopardos, aut balænas, aut elephantos, sed ranas & muscas emisit. Quia excellentior est gloria victoris, & ignominiosior dejectio victi, si rebus minimis superbia maxima cedere cogatur. *Quæret fortasse aliquis, ait Philo, cur Deus tam minutis & vilibus animalibus ad vindictam uti maluerit, quam vrsis, pardis, & leonibus, ceterisque feris carniuoris: aut, si hæc non placebant, saltem familiaribus Egypto aspersionibus, quarum morsus, & subitam, & inenitabilem affert mortem? Is, si nesciat, discat, Deum voluisse Egyptios castigare, non e medio tollere. Nam si eos omnino delere voluisset, non opus erat animalibus, sed diuinitus immissa fame, aut pestilentia. Homines quidem, cum bella gerere volunt, auxilia sibi consciscunt potentissima, quibus suam infirmitatem suppleant, Deus vero omnipotens, & nullius egens, si quando vult, tanquam instrumentis quibusdam uti ad exigenda supplicia, non valida eligi,*

Phil. l. 2.  
de vita  
Moylis

git.

git, sed vilia, paruaq; ; atq; ita noxios plectit.  
 Quod tunc etiam Ægyptus accidit. Quid enim  
 sciniphe vilius? Tamen tantum effecit,  
 ut tota Ægyptus deficiens, exclamare cogere-  
 tur: Hunc esse Dei digitum: manus enim eius,  
 ne à tota quidem terra, quanta, quanta est,  
 immo nec à mundo uniuerso sustineri posset.  
 Hæc Philo.

## §. XII.

Ranarum quanta fuerit in Ægypto plaga?

Phil. loc.  
 cit. l. 1. c. 10. d. 1.

Qui etiam, ne quis à paruis paruam  
 molestiam oriri duntaxat existimet, se-  
 cundam Ægypti plagam ita describit. Dixit  
 Aaron manum extenderat, cum ranarum  
 tanta vis prorepset, ut non solum fora comple-  
 ret, ac loca subdinalia; verum & domos, &  
 villas, & cuncta ædificia tam sacra, quam pro-  
 fana; tam priuata, quam publica; haud secus  
 ac si genus hoc aquatilium missum esset in di-  
 uersi elementi coloniam; natura mutante re-  
 rum vicissitudines. Terra quippe contraria est  
 aquæ. Itaque cum nec foras progredi possent  
 homines, vis oppletis, nec intus manere, re-  
 fertis etiam intimis penetralibus, & ad sum-  
 mas quoque contignationes ranis obrepentibus,  
 ad extremam desperationem redacti sunt. Nil-  
 lus igitur fuit sensus, qui à vilissima hæc  
 bestia

bestia non miserè infestaretur. In oculis  
 aspicientium spina erat tam immensa vis,  
 multitudo, & deformis figura, ora vsque  
 ad aures diducentium, ventrésq; trahen-  
 tium ranarum. Auribus Ægyptiorum nul-  
 la quies erat, à continuis earum clamori-  
 bus, cum velut de choro ad chorum iden-  
 tidem molestissimè coaxarent: & velut  
 cachinnantes populum illum irriderent.  
 Gustui quoque cruciatum maximum pe-  
 pererunt. Nam ijs refertus erat fluuius, vt  
 aqua inde non, nisi sanie ranarum vitiata,  
 hauriri posset, immorientibus earum ple-  
 risque, atque putrescentibus. Quin & do-  
 mesticum victum foedabant, in esculentis  
 atque poculentis nusquam non repertæ,  
 quæ omnia conspurcabant & corruppe-  
 bant, teste Iosepho: Odoratum verò teter-  
 rimo foetore, quem exhalabāt vel mortuæ  
 ac putentes, vel viuæ, turpi limo, è quo e-  
 nascebantur, & in quem resoluebantur,  
 plenæ, per omnia cubilia passim oberran-  
 tes. Quas tangere etiam abominabile erat,  
 cum præsertim plurimæ earum noxiæ es-  
 sent ac venenatæ, neque foedarent tantum  
 contaminarent uè tangentes, sed etiam in-  
 ficerent.

§. XIII.

## §. XIII.

*A ranis homines ciuitatibus expulsi.*

Fuit sanè id tum diuinæ omnipotentie miraculum, in Ægypto: sed etiam extra Ægyptum, absq; miraculo, nonnunquam integræ vastatæ sunt ciuitates, populique toti per ranarum importunitatem, patrijs natiuisque sedibus exterminati. *Heraclides Lembus libro vigesimo primo historiarum narrat, in Paonia & Dardania, tantam vim ranarum è calò delapsam, ut publicas vias, priuatasque domos implerent: primis autem diebus incolas passim eas occidisse, edibusque occlusis, aliquandiu patienter eam molestiam pertulisse. Sed cum nihil proficerent, domesticasq; supellex illis tota obtegeretur, ac cum cibarijs elixas assasq; ranas offenderent, aquarum erepta commoditate; & quia coaceruatis illis non erat pedem ubi ponerent, mortuorum odore ad extremum vexati patriam deseruerunt.* Plinius quoque Vartonem laudat auctorem, à quo proditum sit, à ranis, quandam, in Gallia, pulsam esse ciuitatem. Quin & Paulus Orosius memorat, Cassandro, post mortem Alexandri Magni, Macedoniam tenente, Abderitas, intolleranda ranarum multitudine, patrio solo exacto

Apud Athenzum lib. 8.

Plin. l. 8. nat. hist. c. 29. Paul. Oros. l. 3. c. vlt.

exactos; & antiquis sedibus expulsos; no-  
uias in Macedonia sedes à Cassandro peti-  
isse. Hæc talia indicant, à paruis non par-  
ua sæpe supplicia in homines erumpere,  
si, quod magnitudini deest, multitudine  
compensetur. Tanto etiam manifestius  
potentiæ suæ maiestatem DEVS aperit,  
quânto, per res paruas, maiora legitur  
perpetrauisse.

§. XIV.

*Qualibus muscis Ægyptij fuerint exagitati?*

Quamobrem etiam in ipsis sese muscis  
mirabilem declarat. Qui potuisset plus  
quàm duodecim legiones Angelorum, cõ-  
tra Pharaonem mittere; is ait: *Ecce ego im-*  
*mittam in te, & in seruos tuos, & in populum*  
*tuum, & in domos tuas omne genus muscarum:*  
*& implebuntur domus Ægyptiorum muscis*  
*diuersi generis, & uniuersa terra, in qua fue-*  
*runt. Omne genus muscarum,* ait, quarum  
aliæ sunt communes; aliæ virides & foe-  
tentes, quædam valde crassæ & sonantes;  
aliquæ è mortuis aquis generatæ; nonnul-  
læ iumenta maximè inuadunt infestant-  
que; quædam etiam morsu virulentæ. Qua

de caussa S. Hieronymus existimat LXX.  
interpretes non vertisse *xyromvian*, id est,  
Cani-

Exod. 8.  
21.

Exod. 8.  
21.

Exod. 8.  
21.

S. Hiero-  
nym. ep.  
135. ad Su-  
niam &

Fretellā.  
Exod. 8.  
Pl. 77. &  
Psal. 104.

*Caninam muscā*, sed *νοβομύϊαυ*, id est, comūnem muscam, vt omne muscarū genus cōprehendit. Sed licet LXX. interpretes tribus locis verterint *νοβομύϊαυ*, *Caninam muscam*, nō idcirco alia muscarum genera excluderunt; sed *caninam muscā* potius nominare voluerunt, quōd ea, propter insignem audaciam, violentiam, & molestiam tantō memorabilior, quāto odiosior esset: quippe quæ pertinaciū in hæret acriūsq; mordet. Itaque hæc plaga, vt Philo scribit,

Philol. 1.  
de vita  
Moysis.

*fuit per animal omnium audacissimum, cynomyiam, cui veram appellationem imposuerunt periti nominum, vt erant sapientissimi, compositam videlicet è duabus impudentissimis animalibus, musca & cane: altera vincente omnes volucres temeritate; altero omnes terrestria quadrupedes. Accurrunt enim intrepide; & si quis arceat, non cedunt pernicaciter, donec satientur carnibus & sanguine. Ac cynomyia particeps amborum audacia, & mordax, & insidiosum animal est. Nam è longinquo, intellimorem, magno impetu aduolat, infixaq; cū hæret pertinaciter. Tunc verò diris exagitata, multò erant molestiores, ultra nativam sitim sanguinis, armata diuinitus, ad ultionem contra homines impios.*

§. XV.

Ob muscarum metum, Ethnicos muscarum  
Deos exagitasse.

Grauitas huius pœnæ, non è molestia tantum & vexatione, sed etiam ex pernicio & effectu, exemplisque potest æstimari. Hinc Aegyptij Ibés suas, contra serpentiũ aduentum, & Elei Myiagron (sicut Olym- pij Myioden) deum, muscarum multitudine pestilentiam afferente, inuocauerunt. Quale etiam, teste S. Hieronymo, Beelzebub idolum est Accaron, sic vocatum, in quarto Regum volumine, quasi dicas, Idolum musca. Principem autem demoniorum, ex spurcissimi animalis vocabulo appellabant Iudei, quod musca dicitur, propter immunditiam, qua ex- terminat suauitatem olei. Hebræi odio & derestatione Accaronitarum, qui illis diu infesti fuerunt, principem demonum, Beelzebub, solebant vocare, eadem scilicet voce, qua illi summum suum deum nominauerunt. Nominarunt autem sic, vel quia illum ad muscarum calamitatem auertendam inuocauerunt; vel quia multo victimarum sanguine illud Idolum aspersum, semper muscis plenum, obsidebatur. Tanti fœbat ab illis gentibus muscarum vexatio,

Plin. l. 10.  
nat. hist.  
cap. 28.

S. Hiero-  
nym. in  
cap. 10.  
Matth.

vt ad eam auerruncandam proprium Numen destinandum iudicarent: rectius facturi, si verum Numen non offendissent, quod muscas scelerum vltices excitauit.

## §. XVI.

*Apum in furem furor.*

Fortunat.  
Presb. in  
vita S.  
Medardi.  
& Sur.  
tom. 3.

Sed in exemplis, quæ sacris, quæ profanis videamus, quid muscæ possint. Inter quas & apes computantur, & vespæ, & crabrones, & deniq; minorum gentium examina. De apibus illud tradit Fortunatus presbyter. S. Medardi Ecclesia, inter raris opes, apum aluearia habebat, ea nocturnus fur rapacissimis manibus tollebat. Apes, etsi alioqui, in tenebris, quietæ, tamen vbi lauernionem senserunt, facto agmine, nebulonem aggressæ in fugam vertunt. Neque contentæ, eum à stationibus suis repulisse, fugientem aculeatis stimulis sauciantes pertinacissimè sunt persecutæ, nec à puncturis antè destiterunt, quam reus plagis vndique tumidus, & apibus, toto corpore, circumseptus, ad ipsum D. Medardum, nolens volens peruenisset. Itaque ad sancti pedes supplex prouoluit, crimen fatetur, veniam precatur, opem flagitat. Non sunt ad ignoscendum difficilis



les Diui. Quare & Medardus facile veniam dedit efflagitanti, manuq; extensa, vt Episcoporum mos est, & signo crucis ducto, absolutionem, benedictionemque impertijt. Mira res. Eadem cærimonia Præsul & crimen aboleuit, & abegit apes. quæ illico, homine relicto, ad aluearia sua redierunt. Ita in apibus diuina iustitia supplicij furanti constituit, & quid Sanctorum virtus posset, demonstrauit.

§. XVII.

*Apum in urbibus defendendis potentiam.*

Demonstrarunt & homines sæculi, tam exigua messe mortalium potentiam, vt etiã toti exercitus possint vel ab apibus profligari. Verum enim est, vt Ammianus Marcellinus ait, quod in distinctis necessitatibus nihil tam leue sit, quod non interdum etiam, contra sperata, rerum afferat momenta magnarum. Ita Themiscyrenses, contra oppugnationem Luculli, se defendisse testatur Appianus Alexandrinus. Pars exercitus, contra Themiscyrenses turribus utebatur & aggeribus, & cuniculos tam amplos fodiebant, vt in eis pugna committerentur subterranea. Hos oppidani supernè aperiebant, & per foramina demittebant in operarios vr-

Appiani.  
Alex. de  
bello Mi-  
thrida-  
tico.

Iouian.  
Pontan.  
de gestis  
regis Al-  
phonfi I.

*fas, aliâsq; bestias, & apum examina.* Quod si ad vrsas potius irritandas, quam ad expellendos hostes apes hîc feruissè putentur; memoriæ tradidit Iouianus Pontanus, cùm rex Vicarum oppidum occupare constituisset, primòque impetu, vallo eruto, fossam transgressi milites, alij muros missilibus oppugnare, alij scalas applicare cœpissent; oppidanos, quanquam repente regis aduentu percussos, nihilo tamen segniùs armatos, subitò, in muro apparuisse, ac transilire conantes lapidibus repulisse. Cùm autem regij acriùs infra-  
rent, nec à muro repelli possent, complura apum aluearia, quæ fortè paulò ante ex agris, metu hostium, intra castellum, con-  
gesserant in muros, arrepta in hostes deuoluerunt. quorum fragore irritatæ apes, cùm circumuolarent, non solum os atque oculos oppugnantium incessabant, verum etiam sese armis, & interioribus tunicis inferentes, eos maiore quadam molestia, & malo afficiebant. Atque hoc modo, sese, & oppidum diu tutatos esse, donec vi maiore subrutis mœnibus, in deditionem venirent. Consimilia de apibus plura leguntur de reb. Nam & Hieronymus Orosius scribit, *Ap-*

Africana expeditione, Barrigâ, Lusitano-  
 rum duce, Xiatimêses fortissimè oppugnâ-  
 te, reque ad vltimum discrimen adducta,  
 innumerabilia aluearia apum, quibus ab-  
 undabant, incensa atque è mœnibus fuisse  
 præcipitata. Itaque Lusitani & aluearium  
 flammis ambusti, & apum aculeis stimu-  
 lati, receptui canere, & oppugnationem  
 deserere coacti sunt. Idem aiunt Turcis, in  
 Hungaria, & Episcopi Agriensis ditione,  
 contigisse. Si homines, aluearia in castra,  
 & apes in milites conuertere possunt; cur  
 non & Deus eiusmodi acie vtatur, quam  
 natura spiculis armavit?

Africis & Indicis

Phil. Ca-  
merar.  
cent. 1.  
Hor. sub-  
sec. cap. 8.

§. XVIII.

*Crabronibus & vespis, quos fugarit Deus?*

Enimuerò vtitur, & vsus est. Quippe de  
 vespis & crabronibus, sacer codex ita lo-  
 quitur, immo in eo, ad Israëlitas, Deus,  
 hostes eorum de terra promissionis eie-  
 cturus: *Terrorem meum mittam in præcur-  
 sum tuum, & occidam omnem populum, ad  
 quem ingredieris: cunctorumq; inimicorum  
 tuorum, coram te, terga verta: emittens cra-  
 brones prius, qui fugabunt Heueum, & Cha-  
 nanaum, & Hethæum, antequam introeas.*  
 Per crabrones igitur hostes in fugam ver-

Exod. 23:

27.

Ee 3 tit.

Deuter.  
7. 17.

Iosue. 24.  
2.

Sapi. 12.  
8.

tit. Sed & occidit, & latentes, veluti, per  
venaticos canes, indagavit. Hoc promit-  
tens, ait: *Si dixeris in corde tuo: Plures sunt  
gētes ista, quam ego, quomodo potero delere eos?  
noli metuere, sed recordare, quae fecerit Do-  
minus Deus tuus Pharaoni, & cunctis A-  
gyptijs, plagas maximas, quas viderunt oculi  
tui, & signa atq; portenta, manumq; robustam  
& extentum brachium, ut educeret te Domi-  
nus Deus tuus; sic faciet cunctis populis, quos  
metuis. Insuper & crabrones mittet Dominus  
Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque  
disperdat, qui te fugerint, & latere potuerint.  
Quod se fecisse, absq; illorum labore alibi  
affirmat: *Misi ante vos crabrones, & eieci eos  
de locis suis, duos reges Amorrhæorū, non in  
gladio, nec in arcu tuo. Cur autem crabroni-  
bus ac vespis vsus sit ad puniendum, mise-  
ricordiæ fuit opus, ut alio loco indicatur;  
vbi scriptura recensitis nefarijs sacrificijs  
ac cædibus, alijsq; flagitijs incolarū terræ  
illius, ostendit, meritò fuisse puniendos, &  
addit: *Sed & his, tanquam hominibus, peper-  
cisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas,  
ut illos paulatim exterminarent. Non quia  
impotens eras, in bello, subycere impios justis,  
aut bestijs sanis, aut verbo duro simul exter-*  
mina-**

*minare: sed partibus judicans dabis locum poenitentia.* In Christianis quoque historijs Sapores rex Persarum, à Nisibis vrbis, quam nonnulli Antiochiam Migdonia vocât, ab obsidione crabronum & culicum copijs plus quàm militaribus repulsus est. Quod inopinatum auxilium S. Iacobi Nisibienfis Episcopi precibus attributum est. Nimirum Deo & Diuis non opus est ferro; non fundis Balearicis, non machinis grandibus; neque indiget magnis bellatoribus, aut validis rebus, vilissima animalia potest contra hostes suos armare. Quoties iratus classicum canit, toties omnes creaturæ in armis præsto sunt.

Theodoret. in Eccl. hist. li. 2. c. 30.

S. XIX.

*De muscis S. Narcisci sacrilegos punientibus.*

Hinc est, quod per Isaiam minitans ait: *Et erit, in die illa: Sibilabit Dominus musca, qua est in extremo fluminum Aegypti, & api, qua est in terra Assur, & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in vniuersis foraminibus.* Usque adeò nullum tam est exiguum animal, quod non possit hominis superbiam compescere, Cõ-

Isa. 7. 18.

Surita. li.  
4. cap. 69.  
Baron. in  
Martyro.  
log. ad 18.  
Marrij.

ditore Deo robur illi addente, vel frænum  
laxante. Ille, si vult, ex elephante muscam,  
ex musca verè facit elephantem. Narrat  
Baronius ex Annalibus Hispanorum, Año  
Seruatoris 1286. Carolum Siciliae, & Phi-  
lippum Francorum reges bellum fecisse  
Petro regi Aragonum, in eoque bello Ge-  
rundam cepisse. Ibi milites victoria inso-  
lentes, vi templis illata, ausi sunt sacri-  
legis manibus D. Narcisci patroni & tu-  
toris illius vrbs sacrum tumulum inuade-  
re, & vt spolia legerent, diripere. Nemo  
putet, mortuos impunè violari, præsertim  
Sanctos, pro quibus Deus pugnat. Igitur  
& tunc, è D. Narcisci sepulchro repente  
eruperunt tota muscarum examina, ma-  
gnitudinis & formæ antehac inauditæ: vt  
& aspectu terrerent, & nocerent morfu.  
Nam muscæ, magno imperu, quâ data por-  
ta, sese effuderunt, & in obuios milites vn-  
dique, furiosissimè inuolantes, eos vena-  
natis aculeis ita conuulnerarunt, vt, intra  
paucos dies, hominum plus quadraginta,  
& equorum plus viginti quatuor millia ea  
pestis absumpserit. Quin etiam Petrus ipse  
Aragonum rex, in epistola ad Sanchium  
Castelle regem data, scribit equos, ad qua-  
draginta.

draginta millia perijsse. Neq; multò post rex ipse Gallix mortuus est Perpiniani. Ex hoc diuino sacrilegorum militum supplicio, *MVSCÆ S. NARCISCI* in prouerbium abierunt. Quia autem hoc miraculosè contigit, simile quiddam accidit Seuero Imperatori, in expeditione contra Atrenos, vt docet Herodianus. Obsessi enim à Seuerianis, non solùm sagittis lapidibusque, sese audacter defenderunt; sed etiã vasa fictilia, volucris quibusdam, venenatisq; bestijs oppleta deuoluère; quæ cùm aut in oculos inuolarent, aut in detectas corporis partes sensim obreperent, grauissimè singulos fauciauerunt. Deniq; si quis vult nosse maxima damna etiam à minoribus bestijs in homines corriuata, meminerit Anium scribere, veterè urbem, ad Volsiensem lacum, *Contenebram* appellari solitam, à formicis deletam, & locum illum vulgò *Castrum formicarum* fuisse nominatum.

Herodiana  
lib. 3.

Anius in  
Questio-  
nibus de  
Tuscia.

§. XX.

*Non mirandum, homines à bestijs vexari, cum ipsi irritent Deum.*

Ex his intelligi potest, vti Deum animalibus terræ aliquando, ad scelerum vindictam, non solùm justè, verùm etiam

clementer. Quare miri nihil est, bestias  
 quasdam & molestas esse hominib<sup>9</sup>, & per-  
 niciosas. Homines Deo molesti esse non  
 verentur, & molestia ipsi nulla volunt af-  
 fici? Nec enim sine causa Isaias ait: *Nun-  
 quid parum vobis est, molestos esse hominibus,  
 quia molesti estis, & Deo meo?* Illud itaq; ma-  
 gis mirandum est, tã insanæ homines esse  
 audaciæ, vt Deo molesti esse non verean-  
 tur; quem vel in minimis bestiolis experi-  
 untur, tam multa, immò innumera ha-  
 bere instrumenta, per quę injurias suas de  
 nobis vlciscatur. Tũne, contra omnipo-  
 tentem, superbis, Pharao? Tu Elisẽum  
 irrides, pusille, qui prætextam nondum  
 posuisti? Tu cælo minaris Nabuchodo-  
 nosor? Tu rapinis, cædibus, adulterijs, odijs  
 inueteratis, blasphemijs, contumelijs ad-  
 iram prouocas Dominum Vniuersi, mise-  
 rande peccator? O quantis te periculis,  
 quanto aduersario obijcis? Non sustine-  
 bis, si vel muscam contra te excitet, qui  
 contra te potest omnes armare creaturas.  
 Si te erigis, tot aduersus te habiturus est  
 aduocatos, tot procuratores, tot pugnatore-  
 res, quot sunt in aëre volucres, in mari  
 pisces, animalia in terris. Quid tumes,  
 ô stul-



ô stulte? culex potest esse carnifex tuus.  
Quid te effers, Pharisæe? musca potest te  
occidere. Quid te jactas, Thraso? crabro-  
nem aut vespam non potes pati circa au-  
res tuas sonantem; quo modo fremitus  
Inferni, & Auernales belluas, in Orco  
sustinebis?

C A P V T X V I.

*Quàm bonam Deus suis, & in Ægypto,  
& in Palestina, terram assignavit  
seruis?*

S. I.

*Cur, in bona terra, mala bonis misceantur?*

**E**rræ spinas & tribulos, noxiâs-  
que homini è Paradiso exulanti  
bestias parientis, aut alentis in-  
commoda, vel non esse tanta, quanta ru-  
des fingunt, vel justis de causis euenire, di-  
xi vsque, superque, quàm satis est. Restat,  
vt de terra ipsa disseramus. Quam sanè,  
sicut omnia Conditoris nostri opera, bo-  
nam esse, nemo dubitat, nisi malus. Nam  
præter ea, quæ supra commemorauimus,  
multa alia beneficia illius expendunt, qui  
Cyceonem ebiberunt, & ex cista Cereris  
sumpserunt, vt dici solet; hoc est, qui illo-  
tis

tis